

TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

Morbus universalis quo omnes humanæ mentes in prima origine inficiuntur, curatur quidem ope remedii Baptismatis, sed non ita radicitus ut quædam non adhuc inhæreant naturæ nostræ vitii reliquiæ ad malum impellentes. Certe, iis non obstantibus, immensum regenerationis beneficium perpetuo servare possemus; verum, proh dolor! ubi sunt qui illud non lædant, qui vel semel in decursu vitæ non amittant? Si ergo Deus limites misericordiæ suæ imposuisset, et aliud nobis non supeditasset medium e lapsu assurgendi et ad eum redeundi, quid nobis sperandum foret! Utquid cœlitus vocati, illuminati et gratiæ participes effecti fuissetus, cum nihilominus, veste nuptiali denudati, in tenebris exterioribus æternaliter flere deberemus? At Deus, cujus bonitatis infinitus est thesaurus et misericordiæ non est numerus, nobis naufragantibus manum porrexit et secundam exhibuit tabulam, qua apprehensa et fortiter tenta, iterum salvaremur. Hæc est Pœnitentia.

Vox ista venit a *pœna et tenere*, quasi diceretur, *pœna teneri* aut *pœnam tenere*, quia juxta vulgarem sensum huic voci annexum, peccator vere pœnitens, non solum de actu præterito resipiscit, sed illum odit, detestatur et pro illo expiando pœnam exsolvit. Eo sensu Christus ait, apud S. Lucam, x, 13: *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent.*

Multis testimoniis probat doctissimus P. Morinus, in magno opere de Administratione sacramenti Pœnitentiæ, l. 6, c. 1 et 2, non solum apud Græcos, sed apud Syros et Chaldæos, imo apud Hebræos et Rabbinos, verbum voci Latinorum *pœnitentia* correspondens, eodem sensu usurpari, nempe quo significetur mutatio consilii et si-

mul' odium vitæ anteactæ, et pœna ad eam expiandam exsoluta.

Male igitur Protestantes, necessitatem operum satisfactionis negantes, originem vocis *pœnitentia* a duobus verbis *pone et tenere* deducunt, quasi sola displicentia peccati cum proposito non peccandi, ad justificationem sufficeret: frustra ad vocem græcam *μετανοια* recurrunt, dicentes illam juxta etymon, mutationem tantum voluntatis exprimere: non enim præcise ad etymologiam, sed ad sensum vocis usitatum attendendum est.

Pœnitentia autem considerari potest ut virtus et ut sacramentum: ut virtus definiri potest: *Virtus moralis inclinans ad dolorosam detestationem peccati, quatenus est offensa Dei, cum firmo emendationis ac satisfactionis proposito.* De illius necessitate et qualitatibus ubi de contritione et satisfactione dicemus.

Ut sacramentum vero, recte definitur: *Sacramentum novæ Legis, quo peccata post baptismum commissa, homini contrito, confesso et satisfactionem spondenti, per judiciale sacerdotis sententiam remittuntur.*

Varia in operibus SS. Patrum et auctorum asceticorum sortitur nomina: vocatur a Græcis *Ἐξομολογησις*; quo nomine non sola confessio, sed omnes actus pœnitentiæ laboriosæ intelliguntur. Appellatur a Latinis *manuum impositio*, quia olim publici pœnitentes per manuum impositionem reconciliabantur, et quia nunc confessarius absolutionem pronuntiando dextram versus pœnitentem tenet extensam. Dicitur adhuc, ab effectibus suis, *Sacramentum reconciliacionis, Baptismus laboriosus, secunda post naufragium Tabula*, etc.

De Pœnitentia, prout est sacramentum, nobis tractandum est, et dicemus 1° de existentia hujus sacramenti; 2° de illius materia; 3° de contritione; 4° de confessione; 5° de satisfactione; 6° de illius forma sacramenti, seu de absolutione; 7° de ejus ministro; 8° de ejus efficacia seu effectibus: duo addemus capita, unum de purgatorio, alterum de indulgentiis.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

A nemine Christiano inficiatur remissionem peccatorum post Baptismum commissorum in vera Ecclesia obtineri posse : at multi, variis in temporibus, circa modum remissionem istam obtinendi errarunt.

1^o Montanistæ in secundo sæculo, qui inter peccata alia distinguebant remissibilia et alia irremissibilia, referente Tertulliano, Montanistarum erroribus addicto, lib. de Pudicitia, cap. 2. Remissibilia vocabant venialia, non quod mortalia non essent, sed quia aliis leviora, ab Ecclesia venia donari poterant; irremissibilia vero ea dicebant quæ, cum sint « graviora et exitiosa, veniam » non capiunt, ut homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique et mœchia, et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei : » sunt verba Tertulliani, ibid., cap. 12. Non ideo negabant pœnitentiam pro eis agendam, sed contendebant veniam a solo Deo expectandam esse : igitur potestatem Ecclesiæ non tollebant, sed limitabant.

2^o In tertio sæculo Novatus, presbyter Carthaginensis, a S. Cypriano graviter reprehensus, fugit Romam, ibique Novatiano primo antipapæ junctus, docuit cum illo fideles in persecutione lapsos nunquam ab Ecclesia reconciliandos esse : hinc orti sunt Novatiani quorum alii existentiam sacramenti Pœnitentiæ negare videbantur, et alii, sicut Montanistæ, inter peccata distinguebant remissibilia et irremissibilia. Sic se habet S. Pacianus, Epist. 3 ad Sympronianum, n. 1, doctrinam primorum Novatianorum exhibens : « Quod post Baptismum penitere non » liceat; quod mortale peccatum Ecclesia donare non » possit; imo quod ipsa pereat recipiendo peccantes. »

3^o Massalienses in Syriaco, Græce *Euchitæ*, id est orantes, in concilio Antiochensi anno 391 primum dam-

nati, tantam vim tribuebant precibus, ut per eas solas peccata, sive ante, sive post Baptismum commissa, deleverentur.

4^o Lutherus in principio libri de Captivitate Babylonica ait : « Neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum » tria pro tempore ponenda, Baptismus, Pœnitentia et » Panis. » In fine autem ejusdem libri sic habet : « Si » rigide loqui velimus, tantum duo sunt in Ecclesia sa- » cramenta, nempe Baptismus et Panis. Nam Pœnitentiæ » sacramentum quod his duobus accensui, signo sensi- » bili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi » quam viam ac reditum ad Baptismum. »

Attamen Lutherani sacramentum Pœnitentiæ in praxi retinuisse videntur : utuntur quippe parvo Catechismo a *Luthero* composito, in quo reperiuntur verba quæ sic vertit illustris *Bossuet*, *Hist. des Variat.*, l. 3 : « *Minis- ter* : Ne croyez-vous pas que ma rémission est celle de » Dieu ? *Pœnitens* : Oui. *Minister* : Et moi, par l'ordre de » notre Seigneur Jésus-Christ, je vous remets vos péchés, » au nom du Père, et du Fils, et du Saint-Esprit. »

Anglicani similem retinent formam absolvendi, traduntque confessionem non ut necessariam, sed ut convenientem et utilem.

5^o *Calvinus* negat, lib. 4 Institutionis, cap. 19, § 17, Pœnitentiam esse sacramentum a Baptismo distinctum, contenditque solam Baptismi memoriam fide apprehensam, peccata post illius susceptionem admissa, eodem modo delere ac ipsomet Baptismate delentur peccata ante illud patrata. Unde inferunt Calvinistæ nullas justificationi superesse pœnas pro peccato exsolvendis.

Si autem sacerdos verba absolutionis quandoque proferat, sententia illius peccata non remittit, sed nudum est ministerium declarantis peccata esse remissa : ita sentiunt Calvinistæ, Lutherani, Anglicani, etc.

Ad confutandos omnes prædictos errores, quatuor stabilienda sunt, videlicet 1^o Pœnitentiam verum esse novæ Legis sacramentum; 2^o sacramentum istud vim habere omnia etiam graviora remittendi peccata; 3^o a Baptismo

esse distinctum, et 4^o sententiam absolutionis esse actum judicialem peccata remittentem, non vero tantum declarantem ea esse remissa.

PROPOSITIO PRIMA.

Pœnitentia est verum novæ Legis sacramentum.

Prob. Illa tenenda est propositio quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patribus et argumento præscriptionis: atqui, etc.

1^o *Est de fide*, ut pote definita in concilio Trident., sess. 14, can. 1, his verbis: « Si quis dixerit in catholica » ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in » peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo » Domino nostro institutum; anathema sit. » Idem habetur in concil. Florent., Decreto ad Armenos: *Quartum sacramentum est Pœnitentia.* Ergo.

2^o *Probatur ex Script. sacra.* Matth. XVI, 19, Christus dixit Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Cap. XVIII, 18, ait omnibus Apostolis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Apud Joan. XX, 22, sic, post resurrectionem, promissionem suam implens, loquitur: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde sic: Pœnitentia est sacramentum novæ Legis, modo in ea reperiantur signum sensibile, institutio Christi modo permanenti et promissio gratiæ: at, ex textibus citatis, tres illæ conditiones reperiuntur in Pœnitentia. 1^o Signum sensibile; peccata siquidem sunt remittenda vel retinenda: causa igitur instruenda et sententia proferenda: porro hæc absque signo sensibili fieri non possunt. 2^o Institutio Christi modo permanenti; ex evidentia enim contextus et confesso adversariorum constat præfata Christi verba, non

ad solas Apostolorum personas respicere, sed ad ipsam Ecclesiæ constitutionem: agitur ergo de potestate in Ecclesia jugiter perseveratura. 3^o Promissio gratiæ, cum peccata sine gratiæ eflusione remitti nequeant. Ergo.

3^o *Ex SS. Patribus.* Tertull., lib. de Pœnit., cap. 12: « Igitur, cum scias adversus gehennam, post prima illa » institutionis dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? » cur cessas aggredi quod scias mederi tibi? » *S. Cypr.*, lib. de Lapsis: « Confiteantur singuli, quæso vos, fratres » dilectissimi, delictum suum: dum adhuc qui deliquit » in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum » satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. » *S. Amb.*, lib. 1 de Pœnit., c. 8: « Cur » baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? » In Baptismo utique remissio omnium peccatorum est; » neque interest utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum vindicent (sacerdotes): idem » in utroque mysterio est. »

S. Aug., l. 2 de Conjugiis adult., c. 28, ubi docet Baptismum conferendum esse catechumenis in adulterio viventibus, si desperati jacuerint, id est, si morti sint proximi, addit: « Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ » vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac » vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia. »

Unde sic: Qui agnoverunt in Ecclesia externum ministerium per quod peccata etiam occulta confitentibus remittuntur, mentes a sordibus mundantur, peccatores Deo reconciliantur, ministerium solis presbyteris conceditum, eos supra principes et angelos constituens, eandem vim habens ac Baptismus, agnoverunt necessario sacramentum. At talis est Pœnitentia, juxta sanctos Patres. Ergo, etc.

4^o *Argumento præscriptionis.* 1^o Certum est non solum Græcos schismaticos, sed et alias ecclesias Orientales Ecclesiæ Romanæ infensissimas, septem habere sacramen-

ta, inter quæ numeratur Pœnitentia : atqui hanc doctrinam ab Ecclesia Romana non hauserunt ex quo ab illa separata sunt : quædam tamen ex illis separata sunt a sexto sæculo : ergo tunc dogma sacramenti Pœnitentiæ in universa Ecclesia admittebatur. 2º Ubi Novatianorum et Montanistarum errores prodierunt, undique adversus illos conclamatum est, ex eo quod Ecclesiæ potestatem limitarent : ergo tunc firmiter credebatur inesse Ecclesiæ potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa, proindeque Pœnitentiam esse sacramentum novæ Legis ; ergo fides sacramenti Pœnitentiæ ad ipsos Apostolos ascendit, juxta axioma : *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis fuit institutum, sed semper retentum est, non nisi ab Apostolis traditum rectissime creditur.* Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. B. Paulus, Hebr. vi, 4, ait : *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum celeste... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Ergo.

R. 1º. Si hæc verba ad rigorem sumerentur, probarent nulla peccata mortalia post Baptismum commissa remitti posse : hoc autem Protestantes cæterique hæretici nobiscum negant. Ergo.

R. 2º. Nego conseq. In verbis enim Apostoli nobis objectis de pœnitentia sacramentali non agitur, sed de ea quæ ad regenerationem per Baptismum ab adultis exigebatur : *id patet ex contextu.* Apostolus namque, in fine capituli præcedentis, exprobrat Hebræis quod sint adhuc imbecilles ad audiendum, cum magistri esse deberent propter tempus, et indigeant exordio ut doceantur *quæ sint elementa sermonum Dei* : affirmat tamen se ea prætermitturum et ad perfectiora transiturum, quia impossibile est eos qui post Baptismum semel prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, id est ad pœnitentiam baptismalem, seu de novo per Baptismum renovari. Cum Baptismus novas creaturas nos efficiat per applicationem mortis Christi, dicitur sacramentum regenerationis et re-

novationis; voces *rursus renovari* aperte indicant Apostolum de iteratione ejusdem sacramenti, seu ejusdem renovatione agere, quod per hæc altera verba, *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*, confirmat, quasi diceret : Hæc renovatio fieri non potest nisi per mortem Christi ; Christus autem rursus crucifigi non potest : ergo impossibile est, etc. Ita fere omnes interpretes. Vide *Estium* in hunc locum.

Quidam tamen concedentes præfata verba de renovatione per sacramentum Pœnitentiæ intelligi posse, contendunt ea veram non exprimere impossibilitatem, sed ad summum magnam difficultatem, quod Protestantes non negant.

Obj. 2º. Idem Apost. ibid. x, 26, ait : *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia : terribilis autem quædam expectatio judicii.* Ergo.

R. 1º. Nota iterum hæc verba stricte sumpta probare nulla peccata post Baptismum remitti posse, quod prorsus negant omnes adversarii. Ergo.

R. 2º. Distinguo textum. Voluntarie peccantibus per apostasiam, Christum deserendo, non relinquitur hostia, concedo ; secus, nego. Etenim Apostolus hortatur Hebræos ad tenendam *spei nostræ confessionem indeclinabilem, non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.* Quidam igitur fidem christianam abnegantes et cæteris Christianorum deserentes, ad Judaismum redibant : ut alios a tali apostasia removeat, declarat Apostolus sic peccantibus et in eo statu perseverantibus nullam jam relinqui pro peccatis hostiam : hoc quidem manifestum est : porro nihil inde contra thesim nostram erui potest : ergo.

Præcipua Protestantium argumenta solvemus, ubi de necessitate confessionis tractabimus.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sacramentum Pœnitentiæ habet vim remittendi omnia peccata post Baptismum commissa.

Propositio est de fide ut pote definita in concilio Tridentino, sess. 14, can. 1.

Prob. 1º Script. sacra. In textibus Evangelii supra citatis, Christus inter peccata non distinguit, sed verbis generalioribus utens, dicit : *Quæcumque alligaveritis, quæcumque solveritis* : ergo nec nos distinguere debemus. Aliunde nullum citatur principium quo talis distinctio nitatur, nec ulla datur regula ad separationem tuto faciendam inter peccata remittenda et peccata non remittenda. Ergo.

2º *Ex SS. Patribus. S. Ambr.*, l. 1 de Pœnit., c. 3, n. 10, loquens Novatianis, ait : « Distinctionem peccatorum facitis quæ solvenda a vobis putetis, et quæ sine remedio arbitremini; sed Deus distinctionem non facit, qui... » relaxandi licentiam sacerdotibus suis, sine ulla exceptione concessit. »

S. Pacianus, Epist. 3 ad Sympronianum : « Dominus » dicendo, *quæcumque solveritis*, omnino nihil excipit; » *quæcumque*, inquit, vel magna, vel modica; » Bibliotheca Patrum.

S. Aug., lib. de Agone christiano, cap. 31, de Novatianis ait : « Nec eos audiamus qui negant Ecclesiam » Dei omnia peccata posse dimittere. »

Hæc testimonia aliaque non pauca quæ citari possent, simul ostendunt Pœnitentiam esse sacramentum, et vim habere omnia remittendi peccata. Ergo.

3º *Traditione.* Statim atque prodiere Montanistæ, undique catholici adversus illos clamaverunt; episcopi eos velut hæreticos damnaverunt. Novatiani eis succedentes similiter proscripti sunt pluribus in conciliis, et præsertim in concilio Romano, anno 255, in quo sexaginta aderant episcopi sub præsentia summi pontificis Corneli, qui doctrinam Novati declaravit *inhumanissimam*

et a fraterna charitate alienam. Ergo tunc omnes persuasum habebant nulla esse peccata irremissibilia; idem semper creditum fuit. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Cum nulli erroribus Montanistarum et Novatianorum nunc adhærent, non est causa cur in solvendis eorum argumentis diu immoremur : ea tantum percurremus, principia solutionis breviter indicantes.

Obj. 1º. In I Reg. II, v. 25, legitur : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Ergo peccatum in Dominum remitti non potest, cum non sit orandum pro eo.

R. 1º. Verba hic nobis objecta aliaque ex Veteri Testamento desumpta, nihil adversum nos probare possunt; nam propositio nostra libera Christi concessione in Novo Testamento expressa nititur : ergo hujusmodi argumenta proprio pondere ruunt.

R. 2º. Nego conseq. Non enim prohibetur oratio pro hujusmodi peccato, ut recte notat *S. Amb.*, lib. 1 de Pœnit., cap. 9, n. 40; sed assertitur *singularis vitæ* esse debere aliquem, ut orare præsumat pro eo qui peccavit directe in Dominum : « Quo enim major est culpa, eo » majora quærenda sunt suffragia, » inquit S. Doctor. Aliunde Novatiani et Montanistæ non tenebant dari peccata apud Deum irremissibilia, pro quibus frustra oraretur : ergo hæc difficultas adversariis solvenda est.

Obj. 2º. Christus dicit apud Matth. XII, 31 : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Idem habetur apud Marc. III, 28, et Luc. XII, 10 : ergo datur peccatum irremissibile.

R. 1º. Hæc verba adhuc probarent dari peccata apud Deum irremissibilia, non vero tantum ex parte Ecclesiæ : ergo in causam adversariorum male allegantur.

R. 2^o. Si omne peccatum et blasphemia remittatur hominibus, præter blasphemiam in Spiritum sanctum, ut fert textus citatus, eo ipso refelluntur adversarii qui homicidium, idololatriam, fraudem, negationem, blasphemiam in genere, mœchiam, fornicationem, aliaque gravissima peccata excipiunt.

R. 3^o. Christus non dicit blasphemiam in Spiritum sanctum remitti non posse, sed non remittendam esse: porro non repugnat Christum annuntiare animo prophético quoddam genus peccati non remittendum esse, quamvis Ecclesia habeat potestatem omnia relaxandi peccata; quia fieri potest ut peccator excæcatus et obduratus, de peccato sufficienter non doleat, ad Ecclesiam non recurrat, vel, Deo summe justo id ex terribili judicio permittente, tempus pœnitentiam agendi non habeat.

*R. 4^o. Distinguo consequens. Datur peccatum irremissibile, id est quod difficile remittitur, conc.; quod Ecclesia pœnitenti remittere non potest, nego conseq. Etenim blasphemiam in Spiritum sanctum, juxta communem Patrum et Scripturæ sacræ interpretationem sententiam, ea est animi perversitas quæ contra veritatem evidenter cognitam obduratur, et ipsa Dei opera, v. g., miracula quæ Spiritui sancto appropriantur, tribuit diabolo, sicut faciebant Judæi, dicentes de Christo: *Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Porro certum est tale peccatum difficile remitti posse; nam difficile est hominem cum tanta malitia peccantem, sicque obduratum, sincere ad Deum reverti: conversio quippe ad Deum fit per humile obsequium veritati cognitæ: porro qui contra veritatem cognitam sic obdurescit, viam ad Deum redeundi voluntarie sibi præcludit: ergo, etc. Ita S. Chrysost. et plerique recentiores.*

Cæterum præfatus Evangelii textus adeo difficilis est, ut S. Augustinus dicere non dubitaverit, Serm. 71 de verbis Evangelii, nullum alium in omnibus Scripturis sacris reperiri difficiliorem: sed ipse sanctus Doctor dixit, *ibid.*, se nescire unde hoc procedat, *cum pœnitentiæ quorundam criminum locus in Ecclesia non negetur.* Ergo.

Obj. 3^o. I Joan. v, 16: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis. Ergo est peccatum ad mortem seu irremissibile.

R. 1^o. Multi per illud peccatum ad mortem intelligunt impœnitentiam finalem, quæ quidem est irremissibilis, et vana est oratio pro illa: at nihil inde contra propositionem nostram sequitur, ut patet.

R. 2^o. Nego conseq. Quanquam enim hæc B. Apostoli verba, *est peccatum ad mortem*, sint intellectu difficillima, ut omnes fatentur, non probant dari peccatum irremissibile ad sensum Novatianorum: nulla quippe fit mentio de potestate Ecclesiæ. Nec S. Joannes dicit pro tali peccato non esse orandum: « Non scriptum est: Nullus orabit pro eo; sed: Quis orabit pro eo; hoc est, quis ille sit qui in tali causa orare possit quæritur, non excluditur, » inquit S. Ambros. l. 5 de Pœnit., cap. 9, n. 40. Unde probabilius est Apostolum hic intelligere per peccatum ad mortem peccatum mortale cui peccator adhæret; non prohibet ne fideles pro tali peccato orent, sed non audet illos hortari ad orandum cum ea fiducia de qua locutus est in versibus 14 et 15 ejusdem capituli, dicendo: *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum: quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Et sane cum eadem fiducia orare non possumus pro homine obdurato ac pro eo qui de peccato jam dolet. Ergo.

Plures alii objici solent textus, ut II Machab. ix, 13, ubi de Antiocho legitur: *Orabat Dominum a quo non esset misericordiam consecuturus;* Epist. ad Hebr. xii, 17, ubi dicitur de Esaü: *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Verum Antiochus Deum ex corde contrito et vere converso non quærebat, ideo misericordiam non consecutus est; Esaü veniam non petebat a Deo, sed precibus et lacrymis frustra quæsivit a patre ut de benedictione data pœnitens, eam revocaret.

Dicit Deus in Proverb. i, 28: *Tunc invocabunt me, et non exaudiam eos;* et Christus apud Joan. viii, 21: *Quæretis me, et in peccato vestro moriemini.* Sed in locis his

agitur de peccatoribus qui *viventes* Deum contempserunt, et morientes illum ex metu quodammodo invocant, et non exaudiuntur, quia sincere et efficaciter non sunt pœnitentes : manifestum est autem unicuique attendenti hos textus aliosque similes a Novatianis inaniter allegari.

Objicitur adhuc 4^o sanctos Patres pluries affirmare pœnitentiam semel tantum imponendam esse : verum tunc de pœnitentia publica et solemni, de qua aliquid infra dicemus, loquuntur, non vero de absolutione sacramentali quæ semper iterari potest.

Objicitur 5^o facilitatem veniæ incentivum esse peccandi; sed antiqua illa objectio, a *Sismondi* renovata, grave sustinere non potest examen; venia enim non conceditur nisi vere contritis et sincere confessis.

PROPOSITIO TERTIA.

Pœnitentia est sacramentum a Baptismate prorsus distinctum.

Prob. Illa propositio tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, traditione et rationibus theologicis : atqui nostra propositio est de fide, probatur, etc.

1^o *Est de fide.* Definitur enim in concilio Trid., sess. 14, can. 2, his verbis : « Si quis, sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, » quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo » Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit. »

2^o *Prob. Scriptura sacra.* Textus enim supra citati, *Quæcumque alligaveritis, etc.*; *Quorum remisieritis, etc.*; significant peccata remittenda aut retinenda esse per modum iudicii : atqui peccata non remittuntur in Baptismate per modum iudicii, sed per modum regenerationis : ergo prædicta verba designant sacramentum a Baptismate distinctum.

3^o *Traditione.* Ubique enim in Ecclesia, tum Occidentali, tum Orientali, et in variis sectis hæreticis et schismaticis in Oriente adhuc existentibus, septem habentur

sacramenta, et numeratur Pœnitentia tanquam sacramentum a Baptismate distinctum.

4^o *Rationibus theologicis.* 1^o Protestantes, quos hic impugnamus, nihil admittere volunt nisi quod in Scriptura continetur : porro Scriptura non docet Pœnitentiam a Baptismate non differre, imo contrarium evidenter supponit; non enim ad Baptismum aut ad recordationem ejus B. Paulus remittit incestuosum Corinthium, et B. Petrus Simonem Magum, sed ad Pœnitentiæ lamenta. 2^o Apostoli eorumque successores acceperunt his verbis, *Quorum retinueritis, etc.*, potestatem retinendi peccata : atqui frustra retinerentur peccata, si sola Baptismi recordatio ea delere posset. 3^o Vel Baptismus remitteret peccata post ipsum commissa, ex opere operato, vel ex opere operantis : atqui neutrum dici potest. Non prius, cum illud sacramentum iterum non conferatur. Non posterius; nam tunc eo sensu peccata remittere censeretur, quod recordatio ejus per fidem operans, actus pœnitentis excitaret, ut ait *Calvinus*, Inst. cap. 18, n. 4; atqui recordatio Baptismi non aptior est ad hujusmodi actus excitandos quam memoria aliorum sacramentorum, et præsertim passionis ac mortis Christi. 4^o Ea sacramenta sunt distincta quorum subditi, ministri, institutio, materia, forma et effectus discrepant : atqui sic respective se habent Baptismus et Pœnitentia; ergo.

Dices 1^o : Christus ait apud S. Marc. xvi, 16 : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; et B. Paulus, Eph. v, 26, dicit Christum mundare Ecclesiam *lavacro aquæ, in verbo vitæ*. Ergo sola fides cum Baptismo sufficit ad salutem.

R. Nego conseq. Illi enim textus probant quidem necessitatem fidei et Baptismi ad primam regenerationem, proindeque ad salutem; non vero probant peccata postea commissa sola Baptismi recordatione delenda esse. Ergo.

Dices 2^o : *S. Aug.*, lib. 1 de Nuptiis et Concup., cap. 33, citans verba B. Pauli ad Eph., dicit : « Non ut Baptisma, » quoties peccatur, toties repetatur; sed quia eo ipso quod » semel datur, fit non solum antea, verum etiam postea

» quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. »
Unde sic : *S. Aug.* tribuit Baptismo remissionem peccatorum post illum commissorum : ergo aestimavit Pœnitentiam a Baptismo non differre.

R. Dist. ant. Tribuit Baptismo, etc., tanquam causæ remotæ, *conc.*; tanquam causæ proximæ, *nego ant.* Mens sancti Doctoris est ostendere Baptismum adeo necessarium esse, ut sine ipso nulla peccata remitti possint; nam, cum illud sacramentum sit janua aliorum sacramentorum, ipsa Pœnitentia nullam haberet efficaciam, nisi vel sequeretur Baptismus, vel præcessisset, quod quidem apud omnes certum est. Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Sententia absolutionis non tantum declarat peccata esse remissa, sed ea vere remittit.

Nostra propositio est de fide. Fuit enim definita in concil. Trid., sess. 14, can. 9 : « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum » credat se esse absolutum... anathema sit. »

Prob. 1^o Script. sacra. Joan. xx, 23 : *Quorum remissionis peccata*, etc. Hæc verba accipi debent sensu obvio et naturali : porro sensu obvio et naturali accepta, non significant potestatem declarandi peccata esse remissa, *ul patet.* Insuper, eodem modo, ex textu, peccata remittuntur in cœlo, quo remittuntur per absolutionem : atqui vere remittuntur in cœlo, non vero declarantur remissa. Ergo.

Prob. 2^o ex SS. Patribus. *S. Cyprianus* supra citatus. « Confiteantur singuli..... dum remissio facta per sacerdotis apud Dominum grata est. » *S. Chrysostom.*, de Sacerdotio, l. 3 : « Corporis lepram purgare, imo potius » nullatenus purgare, sed purgatam probare, tantum » Judæorum sacerdotibus licebat; et tamen nosti quanta » tunc esset, pro sacerdotali dignitate, concertatio ! Hi

» vero non lepram corporis, sed immunditiam animæ, » non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt. » *Neque dici potest* S. Doctorem hæc verba ad remissionem peccatorum per Baptismum referre, cum tunc peccata non secernantur a peccatis, sicut lepra a lepra.

Si absolutio esset mere declaratoria, SS. Patres non docerent 1^o peccatorum remissionem fieri per sacerdotes ; 2^o prius solvi in terra quam in cœlo ; 3^o aliter remitti per claves quam per Baptismum, etc. Ergo.

Prob. 3^o ratione. 1^o Sacramenta novæ legis gratiam sacramentalem producunt ex opere operato ; verum, in hypothesi adversariorum, Pœnitentia non produceret gratiam sacramentalem ex opere operato, bene vero ex opere operantis, siquidem peccata vi dispositionum pœnitentis remitterentur. 2^o Si finis absolutionis sit tantum dispositiones pœnitentis excitare, et notum ei facere peccata ejus per fidem esse remissa, inde sequeretur sententiam alta voce et lingua vulgari proferendam esse sub pœna nullitatis ; in multitudinem fidelium prolatam, v. g., in concione publica, validam, imo sæpe meliorem esse : atqui hæc consecraria admitti nequeunt. Ergo.

Verus igitur sensus absolutionis est : *Ego nomine Dei, tanquam ipsius minister, et ex potestate ab ipso mihi concessa, remitto peccata tua, seu tibi confero gratiam peccatorum tuorum remissivam.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Luc. v, 21 : *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Ergo ministri sacramenti Pœnitentiæ declarant tantum peccata esse remissa.

R. Nego conseq. Etenim solus Deus potest, tanquam causa primaria, peccata dimittere ; at procul dubio ministerio hominis uti potest ad ea dimittenda : porro in sacramento Pœnitentiæ sacerdos dimittit peccata, non ut causa primaria, sed ut minister Dei. Ergo nihilominus solus Deus dimittit peccata. Unde *S. Pacianus*, Epist. 1 ad Sympronianum donatistam : « Solus hoc Deus pote-

» rit, verum est; sed et quod per suos sacerdotes facit,
» ipsius potestas est. » Ergo.

Obj. 2^o SS. Patres pluribus in locis comparant sacerdotem pœnitentes absolventem, sacerdotibus Judaicis quibus leprosi a Christo sanati jussi sunt se ostendere, et Apostolis qui Lazarum e monumento jam egressum a vinculis solverunt : vide *S. Hieron.* in xvi Matth., *S. Aug.* Serm. 57, de verbis Evang., *S. Greg. Mag.*, Homil. 26 in Matth. At in his casibus nec sacerdotes sanant lepram, nec Apostoli resuscitant Lazarum : ergo similiter, etc.

R. Dist. maj. SS. Patres comparant, etc., quoad aliqua, *conc.* ; quoad omnia, *nego maj.* Etenim 1^o *S. Hieron.* hoc solum probare sibi proponit, nempe omnes peccatores non indiscriminatim reconciliandos esse, sed probandos, ut discernantur, quod exemplo sacerdotum Judaicorum confirmat his verbis : « Legimus in Levitico » de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus.... non quo sacerdotes leprosos faciant et imundos, sed quo habeant notitiam leprosi et non leprosi, » et possint discernere qui mundus quive immundus » sit.... sic et alligat vel solvit episcopus et presbyter, » non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, » cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus » sit, quive solvendus, » id est, qui absolutione dignus, quive indignus. Talis est sensus *S. Hieronymi* toti traditioni congruens : porro in ea doctrina nihil est quod systemati adversariorum faveat.

2^o *S. Aug.* et *S. Greg.* exemplum Lazari afferunt, ut ostendant peccatores a sacerdotibus solvi non posse, nisi prius gratia divina excitati vivere incipiant, videlicet, per displicentiam peccati, propositum non peccandi et sincerum veræ conversionis desiderium : non vero docuerunt eos non esse absolvendos, nisi plene per gratiam sanctificantem viverent ; imo contrarium expresse dixerunt. Sic *S. Aug.*, Serm. 2 in Psal. ci : « Re- » missio peccatorum solutio est ; quid enim prodesset » Lazaro quia processit de monumento, nisi diceretur :

» Solvite eum et sinite abire?... Fit hoc in corde pœ-
» nitentis : cum audis hominem pœnitere peccatorum
» suorum, jam revixit ; cum audis hominem confitendo
» proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est,
» sed nondum solutus est. Quando solvitur ? A quibus
» solvitur ? Quæ solveritis, inquit, in terra, et in cœlo
» erunt soluta. »

Duplex igitur distinguenda est vita peccatoris : una inchoata per gratiam excitantem, et altera perfecta per gratiam sanctificantem : peccator frustra absolveretur, nisi priori modo jam viveret ; sic vero dispositus, vitam perfectam per absolutionem obtineret.

Hanc doctrinam duplicis vitæ peccatoris confirmarunt summi pontifices Pius V et Gregorius XIII, damnando sequentem propositionem Baii, quæ est numero 64 : « Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vi- » vificatur peccator, dum ei pœnitentiæ et vitæ novæ » propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, » alterius qua vivificatur qui vere justificatur et palme » vivus in vite Christi efficitur, pariter commentita est » et Scripturis minime congruens. »

Queritur 1^o an sententia veterum theologorum qui docebant absolutionem sacerdotis esse tantum declaratoriam, quia supponebant peccatorem vi contritionis perfectæ, cujus necessitatem in sacramento docebant, jam esse justificatum, sit hæretica.

R. Est temeraria, erronea, principiis concilii Tridentini minime congruens, non tamen formaliter hæretica. Nam 1^o multum differt ab errore pseudoreformatorum qui negant Pœnitentiam esse sacramentum et ullam producere gratiam. Theologi enim de quibus agitur, admittebant Pœnitentiam esse sacramentum novæ Legis, gratiam sanctificantem producere, et contritionem quantumvis perfectam peccata non delere nisi in ordine ad claves Ecclesiæ. 2^o Directe non fuit damnata ; concilium enim Tridentinum anathemate percussit eos qui dicebant, sicut hæretici, absolutionem non esse actum judicalem, sed nudum ministerium : at rigore dici posset

absolutionem esse actum judiciale, licet duntaxat declararet peccata esse remissa; quia, videlicet, sacerdos tanquam minister Christi, prius audita confessione, juridice pronuntiaret peccata esse remissa, sicque ritum sacramentalem, vi cujus peccata a Deo remitterentur, applicaret. Certe hæc explicatio est subtilis et menti concilii Tridentini parum conformis; igitur ab omnibus catholicis nunc rejicitur: attamen sufficit ut sententia theologorum ei adhærentium non sit hæretica. Unde *Soto* et *Salmeron*, qui concilio Tridentino adfuerant, hanc sententiam refellentes, non dicunt illam a concilio fuisse damnatam.

Quæritur 2^o quandonam institutum fuerit Pœnitentiæ sacramentum.

R. Christus illud promiserat dicendo Petro: *Dabo tibi claves, etc.*, et omnibus Apostolis: *Quæcumque alligaveritis, etc.* Illud vero instituit post resurrectionem suam, quando insufflans super Apostolos, dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum; Quorum remiseritis, etc.* Ita propriis verbis docet concil. Trid., sess. 14, cap. 1: « Dominus » autem sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos » suos, dicens: *Accipite, » etc.*

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Duplex distinguitur materia sacramenti Pœnitentiæ: una remota circa quam versatur, et altera proxima ex qua componitur sacramentum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MATERIA REMOTA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Nulla in eo puncto est controversia inter theologos, qui omnes fatentur materiam remotam, seu potius re-

movendam, sacramenti Pœnitentiæ, esse peccata post Baptismum commissa. Sunt enim objectum circa quod delendum versatur sacramentum.

Hæc materia potest esse necessaria, vel tantum sufficiens et non necessaria.

PROPOSITIO PRIMA.

Omnia peccata mortalia post Baptismum commissa et nondum directe remissa per sacramentum Pœnitentiæ, sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. Omnia peccata mortalia sunt materia sacramenti Pœnitentiæ necessaria, si omnes homines peccati mortalis rei ad illud sacramentum recurrere teneantur: atqui probabimus infra, demonstrando necessitatem confessionis, omnes reos peccati mortalis ad sacramentum Pœnitentiæ recurrere teneri: ergo.

Diximus 1^o *post Baptismum commissa*; quia peccatum originale et etiam peccata actualia ante Baptismum commissa, clavibus Ecclesiæ subjici non possunt; Ecclesia enim de iis qui foris sunt non judicat, et tamen sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii administratur: ergo.

Diximus 2^o *nondum directe remissa per sacramentum Pœnitentiæ*; probabimus enim infra strictam dari obligationem confitendi peccata aliter remissa, v. g., vi contritionis perfectæ, ante sacramentum, aut indirecte, vi absolutionis in ipso sacramento, si bona fide oblivioni data fuissent.

PROPOSITIO SECUNDA.

Peccata venialia sunt materia sacramenti Pœnitentiæ sufficiens, sed non necessaria.

Prob. prima pars, videlicet ea esse materiam sufficientem. Etenim verba Christi, *Quæcumque solveritis, etc.*, *Quorum remiseritis, etc.*, sunt generalia et ad omnia vincula spiritualia extendenda sunt: porro peccatum